...ules.

...: Comitia generalia seu

Oratio ecclesiastica.

COMITIA GENERALIA

SEV

ORATIO ECCLESIASTICA:

Habita

In amplissima Ecclesia Ordin.
Prædicatorum, Warsauiæ. Dominica III.
Quadragesimæ, quo tempore Orationes
Quadraginta Horarum, mandato Illustriss.
& Rndiss. Nuncij Apostolici celebra-
bantur, & flagellationes solito
more peragebantur.
Anno D. 1918.

Authore P. STANISLAO ~~ZAKRZEVIO~~, *Canonico Regul. Ordinario Prædicatore ad S. Geor.*

Cum licentia Superiorum.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Typographica Matthiæ Andreouien.
Anno Domini, 1618.

Illustriss. & Rndiss. Domino,

D. FRANCISCO DIOTALEVIO,

Episcopo S. Angeli, & Bissaciarum. &c. &c.

NVNCIO APOSTOLICO:

Fr. STANISLAVS ZAKRZEVIVS, *Canonicus Reg. O. S. A. Prædicator ordinarius ad ædes S. Geor. vtramq; fælicitatem.*

OLim Regina Saba, audita fama Salomonis, in nomine Domini venit tentare eũ in ænigmatibus. Et ingressa Hierusalem, multo cum comitatu, & diuitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas, venit ad Regem Salomonem, & locuta est ei vniuersa quæ habebat

bebat in corde ſuo. Idem quoq; accidiſſe mihi Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Domine, fateor. Audita quippe ſapiētia Illuſtriſſ. Celſitudinis veſtræ (quam omnes incolæ Regni Poloniæ, etiam doctiſſimi, & in omni ſciētiarum genere peritiſſimi admirantur, ſummiſq; celebrant laudum encomiis, & quæ in decretis ab I. C. V. æquiſſimè & iuſtiſſimè prolatis, ſicut in auro lapis pretioſus, incluſa conſpicitur.) venio ſupplex ad I. C. V. videns vero I. C. V. ardentiſſimam in Deum pietatem, quam in frequentiſſima Diuinorum myſteriorum celebratione, cum maxima omnium ædificatione, manifeſtat, lucens ſicut lucerna ardens, ſup candelabrum poſita, his qui in domo Dei ſunt. Videns ſapientiam, & in omni ſcientiarum facultate ſummā peritiam. Videns familiam ordinatiſſimam, paccatiſſimam, ab omnibus etiam minimis vitiis remotiſſimam. Videns Curiam viris doctiſſimis ornatiſſimam, ex quibus vnū honoris gratia.

A.R. D. Auditorem ſcauarum, virum hoc noſtro ſæculo, in Iuris prudẽtia, & in omni alia ſcientia excellentiſſimum nomino. Videns ſummam iuſtitiam, quam, ſemꝑ Deum præ oculis habens, nullo reſpectu perſonarum habito, prout decet S. Sedis Apoſtolicæ nuncium, cunctis ad ſe in oppreſſione confugientibus, exhibere I. C. V. ſolita eſt. Videns inſuper vitæ integritatem, omnium bonorum in I. C. V. feruẽtem charitatem, maximam in omnibus factis authoritatem, ingenij dexteritatem, dicere compellor: verus eſt ſermo qui auditur in terra noſtra de ſapientia I. C. V. & opera tua maiora ſunt quam rumor qui auditur. Beati viri tui, & beati ſerui tui Illuſtriſſ. Domine, qui ſtant coram te, & audiunt ſapientiam tuam. Affero etiam I. C. V. nõ iam centum viginti talenta auri, vt olim Saba Regina Salomoni; ſed pretioſius quid & iucundius, & hoc eſt verbum Dei, ſeu orationem Eccleſiaſticam à me compoſitam,

& ad populum in Ecclesia florẽtissimi Ordinis Prædicatorum habitam, eo tempore quo Orationes Quadraginta horarum authoritate, & mandato I. C. V. celebrabantur. Et sicut Rex Salomon dedit Reginæ Saba, omnia quæ voluit & petiuit ab eo. Simili ratione I. C. V. meis velit annuere petitis, dareque mihi quæ volo & peto. Ac inprimis vt munusculum hoc, grato animo & hilari vultu suscipiat, digneturque hanc orationem Ecclesiasticam, suo maturo iudicio comprobatam, vt prælo mandetur permittere. Quod si hoc munus exiguum gratum fuerit, maiora me nomini I. C. V. oblaturum promitto. Valeat I. C. V.

Comitia Generalia,

SEV

ORATIO ECCLESIASTICA:

In Orationibus Quadraginta horarum habita.

Omne Regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Luc: 11.

FVnti mihi ad hodiernā concionem in hac amplissima Ecclesia faciendam, Auditores in Christo dilecti de improuiso in porta Monasterii obuiam venerunt duæ personæ, aspectu terribiles, voce horribiles, ad omnem vt videbatur crudelitatem exercendam flexibiles. Quarum altera erat in fronte scriptum habens. *Ira Dei Omnipotentis. De ore eius lampades procedebant sicut tædæ ignis accensæ, de naribus eius fumus procedebat. sicut ollæ succensæ atq; feruentes. Halitus eius prunas ardere faciebat, & flamma de ore eius egrediebatur.* Iob. 14. Furebat, debacchabatur, immutabuntur oculi turbidi, sanguineique fiebant, cor accendebatur, sanguis commouebatur, videbam eam vt aprum dentes acuentem, loqui sæpe incipientem, ac verba imperfecta relinquentem. Insuper tota inflammabatur facies imcompositè manus mouebantur, ridiculè prosiliebant pedes, lingua quoque clamorem terribilem formabat, occidam, interficiam,

vastabo

vastabo igne, fame, peste, bello, Regnum Polonorum. *Corrupta enim est terra coram Deo, & repleta est iniquitate. Multaq; malitia hominum est, & cuncta cogitatio cordis intenta ad malum.*

Gen. 6.

Multi sunt qui cùm Core. Dathan atque Abiron consurgunt contra Christos Domini, nulloque cultu & obseruantia suos venerantur pastores: Rara reuerentia in personas Ecclesiasticas, rara pro Ecclesiasticis immunitatibus defendendis pietas, rara in Fide Catholica promouenda celeritas. Quot sunt qui pestiferis Hæreticorum sectis fauent, cùm tamen Dominus omnes cæcos & claudos è domo sua auferri iubeat? Quot sunt qui eorum iniustis & iniquis annunt cum manifesto fauore conatibus? Quot sunt qui eos liberè suos spargere errores permitterent, nisi piissimi, & religiosissimi imò Christianissimi Regis nostri obstaret in hac fide heroica fortitudo. O scelera, ô infideles Catholicos, verbo & non re Christianos. Væ vobis qui bibitis iniquitatem vt aquam, & commiscetis vos adulteris, Schysmaticis, & hæreticis peruersis. Venerunt quam plurimi ad Comitia, & vt venerũt mala esse cæperunt, ebrietates, commessationes, nocturnæ cædes, stupra, & alia innumera audita sunt peccata. *Sedit populus manducare, & bibere & surrexerunt ludere.* O tempora, ô mores. Iam verò quam multi sunt, qui contra torrentem nauigant, veritatem impugnant, bonis & vtilibus Principum suorum conatibus sese impedimento opponunt, discordias inter fratres seminant, bonum pacis tollunt consilia iniqua inferunt. *Væ genti peccatrici, populo scelerato.* Hæc & his similia iactabat ore ignito. Altera persona fuerat præseferens virginis speciem, oculis clausis, & facie inflammata, gestans in capite aureum diadema, in vna manu gladium ancipitem in altera libram tenendo clamabat. *Iustus quidem tu es Domine, si disputem tecum: verumtamen iusta loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur, benè est omnibus qui præuaricantur, & inique agunt? Plantasti eos, &*

Hier. 12.

radicem miserunt, proficiunt, & faciunt fructum: propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. Cur Domine non castigas delinquentes? Cur adulteros & superbos vt olim Dauidem non punis? Cur ebriosos & gulosos, vt olim Iudæos in eremo ignitis serpentibus non affligis? Cur homines sceleratos vt quondam populum tuum Israel in manus inimicorũ non tradis? *Quousq; diuitias bonitatis tuæ & patientiæ, & longanimitatis contemnet iniquus peccator, ignorans quoniam benignitas tua eum ad pœnitentiam inducit.* Rom. 2. Eia ergo Domine *secundum duritiã eius & impœnitens cor dimitte, vt irascatur furor tuus & deleat eos de terra. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum, æquitatem vidit, vultus tuus.* æquissimè ergo iudica, improbos puniendo, & probos promouendo. Igitur visis his personis & auditis clamorosis earum vocibus. Obstupui steteteruntq; comæ vox faucibus hæsit. Et dum progredi tento. Eia inquiunt prædicator, siste gradum, & quæ tibi dixerimus fideliter ad aures hominum, quorum est magna multitudo in Comitiis generalibus quæ in hac Ecclesia celebrantur, perferas. *Ira Dei descendit super eos, & exarsit sicut ignis in spinis, deuorabitque eos sicut stipulam* si non conuertentur ad Dominum Deum suum in toto corde suo, &c. Respondi satisfacturum me earum iussis, & illis quidem abeuntibus ego me ad prædicandum contuli. Sed mirari vos video, cur comitia hac in Ecclesia celebrari illæ personæ dixerunt. Sed attendite Has orationes quadraginta horarum, esse Comitia Generalia, fauete mente & auribus.

AVE MARIA.

COmitia Generalia Regni, duas potissimum ob causas à Serenissimo Rege indicuntur videlicet propter amouenda imminentia pericula; hinc consilia sapientissimorum senatorum requiruntur, qua via obuiandum esset instantibus malis, & ingruentibus difficultatibus, & propter corruptos mores, in meliorem statum & ordinem reducendos, ideò videre licet, in Comitiis crimina maxima quæque iudicari, seuerissimèque puniri. Pari ratione Illustriss. Dominus Nuncius Apostolicus, pietate insignis, dotibus animi conspicuus, sapientia celebris, omnique virtutum genere excellens, his duabus inductus rationibus, Orationes Quadraginta horarum indixit. Comitia igitur generalia rectè dici posse necesse est. Prima causa faciendi has orationes est hæc, vt per eas imminentia mala, ne in nostra capita irruant, impediantur ac inprimis discordia, quæ quinque iam hebdomadis in Comitiis infæliciter dominata est, & ne longiùs eius dilatetur dominium, parumq; fælicem exitum Comitia sorciantur, orationes hæ sunt institutæ. Aliud imminens malum est vndique hostium parata incursio, vnà ex parte à Turcis, alia à Scythis, alia verò à Moschis, qui omnes libenter gaudent de Christianorum inter se discordia. Alia causa has Orationes instituendi fuit, vt tandem aliquando peruersi peccatores, videntes summam in Ecclesia deuotionem, desinant peruersè agere, & incipiant piè in Christo viuere. Quò ad primum discordiam esse maximum malum sacra docet scriptura. Per illam quippe amplissima pereunt regna. *Omne regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra do-*
Luc. 11. *mum cadet.* Hæc est Deo odibilis & detestabilis. *Sex sunt quæ odit Deus, & septimum detestatur anima eius, qui seminat inter fratres di-*

tres discordias. Tanquam in Musicis, si harmonia chordarum fuerit consonanter aptata, sonum suauem modulati carminis reddit, si verò sit aliqua in fidibus dissonantia, ingratissimus sonus redditur, & carminis dulcedo corrumpitur. Ita & ij qui Deo militant, si dissensiones & discordias inter se habeant, ingrata erunt omnia, & nihil acceptum Deo videbitur, etiamsi multa bella conficiant, etiamsi spolia multa deferant, & multa munera offerant Deo. Hæc homines inter se consumit, & in captiuitatem abducit. *Si inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.* Cybindus auis bellum internicium gerit cum aquila, adeo vt cohærentes sæpe numero prendantur. Ita fit aliquoties, vt dum mutuum inter se odium pertinaciter exercent principes, vtrique subuertantur, tertio quopiam inuadente. Hæc efficit, vt homo ea re de qua excitas discordias æternis temporibus priuetur. Duo Fratres ex paterna hæreditate lacum vnum vindicabant, sed neuter alterum in societatem possessionis admittebat. Permittitur Diuo Gregorio Taumaturgo litem dirimendi potestas. Is reconciliationem suadet, ac vt pacis lucrum facerent pluris, quam id quod ex prouentibus caperent, hortatur. Verum adhortatio inefficax fuit, exercitus vtrinque ex subditis paratur. Pridie eius diei, quo bello certandum erat, cùm homo Dei ad ripas stagni permansisset, noctemque peruigilasset, miraculum Mosaicum edidit in aqua percussione virgæ, omnem eum lacum in incultam & vastam terram humoris expertem redigens, adeo vt ne inconcauis quidem locis aliquas aquæ reliquias haberet. Grande ergo malum est discordia. Hinc à quodam doctissimo viro, comparatur grandini in hæc verba. Discordia assimilatur grandini propter quinque. Primo quia grando est frigidissima, nam grando est stilla pluuiæ, frigoris & venti rigore in aëre congelata vt dicit Aristoteles, fit enim ex vapore frigido & humido, ad in-

Orig. homil. 26. in Num.

Galat. 5.

Arist. de nat. anim. lib. 9. c. 12.

Eus. lib. 7. cap. 29.

Magister Ioannes de S. Geminiano.

ad interiora nubis fugato per dominium caloris circumstã-tis: qui vapor in nube recipitur, & à fragiditate condensatur. Nam quando vapor eleuatur ita alte virtute caloris, quod non consumitur fit nubes calidißima, cò quod multùm de calore remaneat in vapore. Ideo ex calore circumfuso in aëre confortatur frigus & coarctatur in vnum locum: & ex calore ipsius nubis aperiente, frigus repente intrans congelat & fit grando. Ita ex calore iracundiæ dominante, & ex vapore superbiæ cor subintrante: & ex frigore alicuius iniuriæ vel aduersitatis generantur discordiæ, quæ corda hominum frigida faciunt expulso charitatis calore. Psal. 148. *Ignis grando nix, glacies, spiritus procellarum.* Per ignẽ intellige iram, per niuem & glaciem aliquam aduersitatem vel iniuriam cor stringentem, per spiritum intellige pestem superbiæ: & ex his sequuntur procellæ bellorum. Secundo quia grando est dura ad ictum, nam grando fortiter percutit, ex eo quòd dura existit, vnde & grana eius in scriptura lapides appellantur.

Eccl. 43. *Confracti sunt lapides grandinum.* Prouenit autem duritia grandinis, ex eo quod frigus vt dictum est, fugiẽs calorem aëris ad interiora nubis se recipit, & ex sua aggregatione virtus eius inualescit, vnde vaporẽ quem in nube inuenit sua virtute cõstringit: & in duram substantiã cõuertit: & ideo magis quam in hyeme fiunt grandines in æstate, quia virtus frigoris quæ est in æstate vnitur, & in vna parte aëris adunatur, in hyeme per aërem totum dispergitur, quare debilior redditur, nec ad congelandum vaporem sufficiens inuenitur. Ita discordiæ ex calore iracundiæ, & ex frigore malitiæ generatæ, corda hominum sic indurant, quod vnus erga alium semper sæuiat,

Sap. 5. & nulla pietate seu benignitate mollescat. *A petrosa ira plenæ mittentur grandines.* Tertiò, quia grando est subita siue impetuosa quo ad descensum. Nam cum de se sit grauis, vento etiam impellente cum impetu descendit. Et ita etiam similiter

cum

cum impetu iræ, & violentiæ discordiarum bella geruntur. *Nam ira non habet misericordiam neque erumpens furor sed sicut impetus grandinis turbo confringens, &c.* Quartò, quia grando non est totaliter rotunda quo ad aspectum. Nam habet figuram quasi dentis vel mochi. Quia ergo figura rotunda perfectionem secundum Philosophum importat, quæ in grandine deficit, colligitur bella, discordias, & lites contingere ex defectu charitatis vel imperfectione. *Charitas enim est vinculum pacis.* *Colos. 3.* Nam cui charitas perfectè adesset etiam iniuste lædenti, minimè repugnaret dicente Domino. *Qui te percusserit in vnā maxillam præbe ei & aliam.* *Matth. 5.* & *Non vos metipsos defendentes sed date locum iræ.* *Rom. 12.* Quinto, quia grando est noxia quo ad effectū, nam cum impetu terram petit, segetes, fructus, & flores plurimùm lædit. *Percutit in grandine vineas eorum.* *Psal. 67.* Interdum etiam & grandine animalia occiduntur. *Occidit in grandine iumenta eorum.* Sic per discordiam homines occiduntur, gloria extinguitur, diuitiæ tolluntur, libertas amittitur, charitas rumpitur, anima vastatur, & in æternam captiuitatem abducitur. Præclarè quidam dixit: *Concordia res paruæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur,* hæc omnia bona, omnia regna, omnes vires subuertit, & annihilat. Ad tollendum igitur tantum malum è cordibus Christianorum Principum Comitia hæc spiritualia, seu orationes Quadraginta horarum instituta sunt. Quòd autem contentio & omnis discordia sopiatur armis cælestibus, qualia sunt orationes ad Deum feruentissimæ, flagellationes, publicæ in saccis Processiones, vnico demonstrabitur exemplo. In Galliarum finibus audiui gestum esse, quod narro. *Pet. Dam. Ostien. Episcopus Epist. 9. ad Firmi-num.* Inter Abbatem & quendam sæculi potentem orta est non leuis de possessione contentio. Cumque à Partis vtriusq; fautoribus minis diu certaretur & iurgiis, tandem vt armis ageretur vtrinque condictum est. Et sæcularis quidem paratis militum copiis, campum præliaturus ingreditur, acies stru-

 it, cu-

it, cuneos ordinat,atque ad fortiter agendum omnium mentes acerrimus cohortator inflammat. Syluescunt omnia gladiis, rubent clypei, vociferantium clamor attolitur, minaces armatorum fremitus inhorrescunt. Tela stringuntur,& solus aduersæ partis impetus, ad congrediendum accensis manibus expectatur. Abbas enim non in armis terrenis spem suam sed in humanæ salutis authore, cunctis qui pro se dimicare conuenerant, suum prohibuit comitatum. Solos autem Monachos suos equis imposuit, capita cucullis operiri præcepit: sicque cum illis velut galeatis & loricatis fidei munimento, crucisque vexillo, non ferrea vt sperabat arma conspiceret, sed tanquam cælestem atque Angelicam aciem cominus aduertisset, tantus eum cum suis omnibus diuini timoris horror inuasit, vt desilientes de equis protinus arma proiicerent, terræ se humiliter sternerent, indulgentiam flagitarent Sic, sic nimirum titulos victoriæ triumphalis obtinuit, qui non in frementibus equis, non in micantibus gladiis spē posuit, sed ex diuinæ potentiæ virtute præsumpsit. Vidistis contentionem & discordiam, vidistis exercitus in aciem progressos, sed tamen in pace ad domos suas reuersos, ortusque est post nebula Phæbus, ventum est in aciem cum cruce Domini, & ecce subito perit discordia,oritur charitas & cōcordia, & qui intulerat bellum, in terram prostratus petit veniam. Sic & nos desiderantes à Deo nostris Principibus impetrare mutuam charitatem & concordiam, progredimur ad orationes fundendas, tecta cucullis capita habentes, carnem nostram flagellaturi, tenendo in manibus crucem Domini pro obtinenda concordia laboramus, certam spem in Domino ponentes optatis nos gauisuros, &c. Alterum periculum est hostium, maximè autem Turcarum crudeles incursiones, qui optimam se occasionem Christianos debellandi habere iactant eorum discordiam. Recte Simon Maiolus Episcopus

piſcopus Vulturarien. de bellorum euentibus ait. Non ignorat Turca diſcordes eſſe Christianos, quapropter etiam tantò confidentius arma mouet contra eos, & ſi qui ſparguntur de Chriſtianorum concordia rumores, tanquam inanes & futiles explodit. Id quod ex ſequenti narratione ſatis liquet Cùm aliquando & quidem haud ita pridem, Turcico Tyranno quidam ex ſuis, bellum aduerſus Chriſtianos diſſuadere conaretur, quippe formidandum eſſe diceret, ne Chriſtiani bello irritati tandem in vnum conuenirent, bellumq; aduerſus eum communi conſilio & ope gererent. Tyrannus ridens recitaſſe fertur fabulam illam vulgò notam de canibus bellum aduerſus lupos intentantibus. Cùm inquit, lupi aliquando magnam canum multitudinem aduentare aduerſus ſe intellexiſſent, ingenſque propterea eos terror occupaſſet: vnus ex iis qui inter eos ſenior erat in propinquum montem profectus, cacumen eius, vt canum ſpecularetur aduentum conſcendit, Verùm cùm eos multos quidem, ſed diuerſorum colorum eſſe perſpexiſſet, lætus geſtienſque ad ſuos reuerſus. Bono, inquit, eſte animo. Tanta enim eſt in hoſtibus noſtris colorū, morū, ſtudiorumq; diuerſitas, vt conſentire vnà ac conſpirare in aliquē omnes ſimul non poſſint, ſingulos verò ſi venerint, abſorbere ſine difficultate poterimus. Cui cōuenit quod Imbraimus interpres Turcici Imperatoris Francoforti in electione Maximiliani II. Cæſaris, cuidam vires, & potentiam Germanorum deprædicanti reſpondiſſe fertur. videri ſibi Germanorum animos ſimiles eſſe belluæ multorum capitum, & plurium caudarum, quæ agitata ſepem tranſire conaretur. vnde cum capita diuerſa, diuerſa foramina tranſeundi quærerent, neceſſarium fore, vt ſimul & corpus & caudæ immotæ manerent, & ne progrederentur vlterius impedirentur. Imperatorem verò ſuum ſe comparare belluæ vnicipiti, quæ plures caudas haberet, ita vt ſi caput per vni-

cum

cum transitum penetraret, necessario & corpus & caudæ vnâ absque omni impedimento cogerentur sequi. Qua sanè similitudine haud insulsa, nihil aliud innuere voluit, quam dissensionem animorum, & distractionem virium Christianorum: è contra concordiam & potentiam vnitam Turcarum Quàm verò crudelis sit iste hostis vnico patebit exemplo: cùm enim vi cæpisset Constantinopolitanam ciuitatem. Imperatori in fuga conculcato caput præcidit, prolem omnem Regiam in partes conscidit, vna cum quadraginta millibus hominum, vrbemq; totius Orientis potentissimam atque amplissimam latè, ferro flammis ac ruinis vastauit. O hostem crudelissimum. Nos igitur ad prosternendas huius inimici copias hæc celebramus Comitia videlicet Orationes Quadraginta horarum, quibus etiam potentissimum posse superari hostem in medium prolata exempla docebunt. Attendite, Moyse orante in Monte Iosue Amalechitas deuicit. Attila Rex Hunorum à Metensi vrbe egrediens, cùm multas Galliarum ciuitates opprimeret. Aureliam aggreditur, eamque maximo arietum impulsu nititur expugnare. Erat eo tempore beatissimus Anianus supradictæ vrbis Episcopus vir eximiæ prudentiæ, ac laudabilis sanctitatis. Cumque inclusi populi suo Pontifici, ecquid agerent exclamarent: ille fisus in Deo, monet omnes in oratione prosterni, atque cum lacrymis præsens semper in necessitatibus Domini auxilium implorare. Deniq; iis vt præceperat deprecantibus, ait Sacerdos: Aspicite de muro ciuitatis, si Dei misericordia iam succurrat, suspicabatur enim per Dei misericordiam Aetium aduenire, ad quem & Arelatem abierat prius suspensus futuri. Aspicientes autem de muro neminem viderunt, & ille, Orate inquit, fideliter Dominus liberabit vos hodie. Orantibus autem illis ait: Aspicite iterum. Et cùm aspexissent neminem viderunt qui ferret auxilium. Ait eis tertio: Si fideliter peti-

Grego. Tur. hist. Franc. lib. 2. cap. 7.

tis

tis Deus velociter adest, At illi fletu iterum,& eiulatu magno Domini misericordiam implorabant. Exacta quoq; Oratione. iuxta senis imperium aspicientes denuò, viderunt de longè quasi nubeculam de terra consurgere. Quod cùm renunciarent, ait Sacerdos, Domini auxilium est. Interea iam trementibus ab ictu arietum muris, iamque ruituris: Ecce Aetius & Theodoricus Gotthorum Rex, ac Torismundus eius filius, cum exercitibus suis ad ciuitatem accurrunt, aduersumque hostem reiiciunt ac repellunt. Itaque liberata obtentu beatissimi ciuitate Attilam Regem fugant. O eximias vires sanctæ Orationis. Aliud quoque exemplum proferre libet. Anno Domini, Nonagesimo trigesimo Octauo, bellantibus aduersus Ottonem Regem Henrico fratre, Eberardo Duce Francorum, atque Gisleberto Duce Lotharingiæ, cõparatoque validissimo exercitu. Ottone verò aduersus eos expeditionem parante: vt ostenderet Deus, non vinci hostes armis tantum sed precibus, & præualere iustam causam omni apparatu validissimo, atq; fidendum potius diuinæ quam humanæ potentiæ, in transitu Rheni sic permisit Ottonis discidi copias, vt aliis ad ripam vlteriorem transmissis, aliis in citeriori remanentibus cum Ottone, necesse fuerit illis, qui transmiserant amnem, ex improuiso apparente ingenti exercitu hostium, cum illis conferre manus. Et quamuis paucissimi numero essent, eos tamen vicerunt atque fugarunt incruenta parta victoria. Vt autem ista se habuerint, Vuitichindus Saxo describit, & Luitprandus & alii. Tunc Rex (inquit Luitprandus) deniq; suorum tantam constantiam non sine diuino instinctu considerans: quoniam fluuio intercedente, corporali præsentia suis subuenire non poterat recordatus populi Domini, qui repugnantes sibi Amalechitas, Orationibus Moysi serui Dei deuicerat protinus de equo descendit, seque cum omni populo lachrymas fundens ante victoriferos cla-

uos manibus Domini nostri Iesu Christi afflixos, suæq; lanceæ impositos in orationem dedit. Quantumque iusti viri tunc valeret oratio res manifesta probauit. Eo namque orante, cum ex suis nullus occumberet, hostes sunt in fugam conuersi, nonnullique eorum cur fugerent, penitus ignorabant. Addo, & aliud pulcherrimum exemplum. Cùm barbari quidam, tempore Theodosii Imperatoris, iam parati essent fines Romanorum inuadere, hæc audiens Imperator pro sua consuetudine hanc sollicitudinem Deo commisit, & orationibus occupatus cito promeruit quod quæsiuit. Hæc enim barbaris acciderunt. Dux eorum nomine Rugas fulmine percussus interiit, secutaque pestis maximam partem eorum interemit. Et non solùm hoc sufficit, sed etiam ignis de cælo descendens, plurimos qui videbantur remansisse consumpsit. Quæ res Barbaros in formidine magna constituit, non solùm quod contra gentem Romanorum fortissimam arma leuare ausi fuissent, sed quod sic eos à forti Deo iuuari conspicerent. O admirabilem in debellandis hostibus S. Orationis virtutem! Non possum me continere, quin Aurelii Imperatoris verè Philosophi luculentissima referam verba ex eius Epistola ad S. P. Q. R. deprompta, sic igitur inquit, Armatorum hostium numerabantur nongenta septuaginta quinque millia: cumque non haberem copias conferendas numero barbarorum hostium, precabundus confugi ad opem patriorum numinum, à quibus neglectus, & in arctum redactus ab hoste, acciui quos Christianos vocamus, ii perquisiti benè multi reperti sunt, infremui in eos, quod non debueram, vt postea cognoui ex mirifica eorum potentia, qui mox rem aggressi absque telis, armis, tubisque, nimirum abhorrentes, ab istiusmodi apparatu, & contenti Deo quem circumferunt secum in conscientia, credibile est igitur, licet impios existimemus, Deum pro munimento habere in pectore: prostrati

Tripart. hist. Eccles. l. 12 c. 12.

enim

enim humi, non solum pro me deprecati sunt, sed & pro præsenti exercitu petentes opem contra vrgentem sitim & inediam: quintus enim dies erat, ex quo aqua carere cæperamus: eramus quippe hostili solo, in ipso meditullio Germaniæ: Confestim autem, vt procubuerunt in facies, & preces fuderunt ad ignotum mihi Deum, descenderunt de cælo, in nos quidem frigidissimus imber, in nostros verò hostes grando mixta fulminibus, vt sine mora sentiremus præsto esse inuictam opem Dei potentissimi. Annon igitur vera dicimus Oratione feruenti innumeras hostium copias posse vinci & superari? Hæc exercitus validissimos prosternit. Hæc inermes fortes & inuictos efficit. Hæc pusillanimes confortat, & ad victoriam perducit. Hæc omnes hominum vires etiam fortissimas debilitat, Hæc in fugam superbos hostes vertit, Hæc ciuitates obsidione cinctas liberat, Hæc fame & inedia oppressis subuenit. Hæc mænia ciuitatum custodit. Hæc Regna & imperia munit & tuetur. Vno verbo omnia bona veniunt nobis cum illa. Sciuit hoc Illustriss. Dominus Nuncius Apostolicus, & ideò Comitia hæc seu Orationes indixit, indixit, qui Regnum nostrum ô Poloni dilexit, & vt videre licet pro eo apud Deum, & apud Sedem Apostolicam laborare non cessat. Eius ergo nomen vt à nobis celebretur omni tempore æquissimum est. Hæc igitur fuit causa præcipua hæc instituendi Comitia. Altera est, vt conuertatur impius, à viis suis pessimis & reuertatur ad Dominũ Deũ suum, vt videns fratres suos saccis vestitos, flagellationibus spõtaneis cruētos, lacrymis & mærore in orationibus fundēdis squallidos renũciet carnalibus voluptatibus, videns Orationes cum magno feruore deuotionis ad Deum fundi, ille quoq; velit os suum in Dei laudes celebrandas aperire. Videns vndiq; imminentia Regno pericula propter scelera & peccata populi, moueatur ad benè agēdũ & Deũ pro sceleribus suis placandũ, &c.

 Adhæc

Adhæc Comitiis celebrandis aſſignatur locus aptus & idoneus, vt in Regno noſtro ad Comitia peragenda deputata eſt ciuitas Varſauien. ampliſsima, quæ iure merito aurum purum, ſimile vitro puro dici poteſt, ſola Eccleſiæ Catholicæ templa, & nullas Hæreticorum tabernas, & ſpeluncas cõtinens. Et his quoque noſtris Comitiis inſtinctu S. Spiritus Illuſtriſſ. Dominus Nuncius, non alium locum, niſi hanc Eccleſiam Ordinis Prædicatorum pro nunc elegit & deputauit. Ordinis inquam florentiſſimi, ſanctiſſimi, Deuotione excellentiſsimi, Doctrinæ ſicut ſol fulgentiſsimi, Prædicatione feruentiſsimi, omni ex parte digniſsimi, ex quo ſicut è Troiano equo, viri & ſanctitate vitæ, & doctrinarum ſcientia præſtantiſsimi proceſſêre, procedunt, ſuntque in æuum proceſſuri. Certè factum hoc eſt non ſine myſterio, & ita à vobis credendum eſt, vultis ſcire cauſam? Habete. Notum eſt Eccleſiæ Catholicæ S. Dominicum, huius præſtantiſsimæ familiæ Fundatorem in Ordine noſtro Canonico quondam Suppriorem, Oxomenſis Eccleſiæ Canonicum Regularem, multum ſua ſanctitate efficere poſſe, apud Dominum Ieſum & Matrem eius B.V.M. cui in hac ſanctiſsima Religione præcipuus exhibetur cultus. Vt igitur eius patrocinio citiùs Orationum noſtrarum effectum conſequamur, confugimus ad Ordinem filiorum eius, vt illis ad Patrem ſuum nobiſcum ſupplicantibus, moueatur precibus noſtris & filiorum ſuorum, & quod petimus nobis impetrare dignetur. Quod verò multum hic S. in cælo efficere valeat, vnicum monſtrabit exemplum. Beatus Dominicus Ordinis fratrum Prædicatorum inſtitutor, cùm more ſuo precationi intentus mentem aliquando defixiſſet in cælo, vidit ſublimem in aëre Chriſtum Dominum, cum admirabili ſplendore maieſtatis, & magnitudinis ſuæ, regali ſolio conſidentem. Erat illi in vultu horrenda ſeueritas; ira ex oculis emicabat; manu tres

vt ap-

vt apparebat, lanceas vibrabat, quibus orbem vniuersum erat interempturus. Cùm autem inueniretur nemo, qui furori iusto se opponeret, Gloriosa virgo Mater aduoluta genibus, & arctissimè amplexa filium, rogat, vt hominum quos suo sanguine redemisset caperetur misericordia, Christo cōtra infinitas causas iustissimæ vindictæ, in perditissimam gentem mortalium summatim recensente, subiicit amantissima filiorum mater, duos se etiam habere seruos, quorum laboribus & industria, flagitiosi reuocari possint ad pænitentiam, & simul cum dicto vtrumque offert. Alterum Dominicum, Franciscum alterum. Placatus est maternis precibus Dominus, & ad eam rem accipere se ostendit insigne illud par bellatorum. Et quoniam multum potest hic S. vir, clamemus ad illum cum filiis eius, vt in nostris necessitatibus velit esse intercessor. *Præterea* solēt ad comitia cōfluere Nuncii seu Legati, qui nomine Fratrum suorum à quibus mittuntur, in procuratione negotiorum Regni versantur. Sed in his quoque nostris Generalibus Comitiis adsunt fratres nostri delegati, qui nomine omnium mittuntur ante altare Dei, induti saccis, à Confraternitate Sacratissimi Rosarii, & à nobis omnibus certos habentes articulos, quos ad optatum effectū perducere vt summa ope nitantur, mandauimus eis. Veniunt igitur cum cruce Christi Domini, rubris induti vestimentis ad similitudinem Seruatoris nostri, cuius rubrum vestimentum in passione fuit, tenentes præterea in manibus flagella, quibus terga sua nudata percutiant, petantq; vt articuli sibi à nobis commissi, à Rege supremo comprobentur. Quorum primus est, quem exequendum fratribus his mandauimus, vt nobis Dominum Deum iratum, reddant placatum, & benignum quod similiter Niniuitas fecisse nouimus, ad quos cum Ionas venisset, & hæc verba plena terrore & horrore protulisset. *Adhuc quadraginta dies sunt, & Niniue subuertentur.* Et

 credi-

crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem, & peruenit verbum ad Regem Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere &c. Sequitur: *Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est Deus supra malitiam:* Ita & vos fratres charissimi ad exemplum Niniuitarum, his vestiti saccis supplicate Domino Deo, vt misereatur nostri, dimittatque scelera nostra, & non intret in iudicium cum seruis suis, sed vt benignus Pater protegat nos, & defendat, quos sanguine redemit pretiosissimo. Alius articulus est, quem fratribus nostris in his Comitiis promouendum comisimus, vt nobis à Domino Deo suis ardentibus votis, de vniuersis hostibus obtineant triumphalem victoriam. Olim Aman decretum crudele contra Iudæos à Rege Assuero impetrauerat, vt omnes vno die à minimo vsque ad maximum, capite ab hostibus suis plecerentur. *Quæ cum audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua, & indutus est s[a]cco, spargens cinerem capiti, & in platea media ciuitatis voce magna clamabat, &c. In omnibus quoque prouinciis, oppidis ac locis, ad quæ crudele Regis dogma peruenerat planctus ingens erat apud Iudæos, ieiunium, vlulatus & fletus, sacco & cinere multis prostrato vtentibus.* Mirabile dictu, tali & tam abiecto apparatu vicit Mardochæus cum suis Iudæis Aman superbū, & reliquos omnes hostes suos &c. Pari ratione rogamus vos fratres, qui his induti saccis ad portam seu ad matrem misericordiæ, quam humilis Æster præfigurabat, petite ergo & dabitur vobis, pulsate & aperietur vobis, quærite & inuenietis, rogate Angelorum Dominam, vt nostram causam coram filio suo agere dignetur, possimusque per eam prostratis hostibus læti pacatam ducere vitam. Vt sine timore de manu inimici seruiamus filio eius in sanctitate & iustitia, omnibus diebus vitæ nostræ. Tertius demum articulus est vobis fratribus à nobis com-

commiſſus, vt veſtris orationibus Concordiam, & mutuam in ſe charitatem impetretis, nam virtus vnita fortior. Inſuper quartum addidimus articulum, debere vos feruenter Deum orare, vt Sereniſsimum Regem noſtrum Sigiſmundum vna cum Sereniſsima Conſorte ſua, Matre Chriſtianiſsima, in omni fælicitatis proſperitate, ſeruet ſaluum & incolumem, Filiumque eius Vladiſlaum, decus & ornamentum Regni noſtri, in Moſchouia bellantem, ad optatos perducat terminos. Noſtrum quoq; Illuſtriſſ. D. Nuncium Apoſtolicum, in gratia ſua benedictionis habere velit, dignetur que eum fælici valetudinis proſperitate, ad noſtram omnium conſolationem frui. Ad extremum ego quoque legationis fungor officio, ab ira diuina & iuſtitia ob id rogatus. Per amorem Dei, ô Auditores, Quieſcite peruerſè agere, & incipite bene viuere, deſinant ebrietates, ſtupra, fornicationes, pauperum oppreſſiones, contentiones, diſcordiæ, feſtorum dierum violationes, doloſæ cogitationes, nam hæc omnia iram Dei ſuccedunt, ſed potius induite nouum hominem, vt veros decet Chriſtianos viuite, nolite viuere ſecundùm carnem, ſed facta carnis ſpiritu mortificate, fiet, vt hic diuinam gratiam, & in futuro ſæculo æternam obtineatis gloriam.

AMEN.